



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

5. De præcipuis officijs Spiritus Sancti

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

## V. De precipuis Officijs Spiritus sancti.

I. Spiritus sanctus missus est, ut operi redemptionis nostræ extremâ quasi manū admoueret, merita Christi infinita singulis applicando. Sicut enim medicus medicamenta ordinat, pharmacopæus ea parat, infirmarius applicat: ita Pater media reparationis nostræ ordinauit, Filius illa præparauit, Spiritus sanctus applicauit. Quàm miris & varijs modis Spiritus Paracletus diuidit singulis, prout vult, varia charismata ex peculiari applicatione infinitorum Christi meritorum! Quoties, & quàm largiter, tibi quoque obtulit, & nunc offert, ex eodem immenso Oceano, fluenta gratiarum! Gratitude, amor, zelus sanctè donis acceptis vtendi.

II. Homines originali labe infectos, per gratiam regenerationis, & relapsos in mortale peccatum, per gratiam iustificationis, ex peculiari intuitu meritorum Christi, purificat, vinificat, sibi que assimilat, iuxta illud Christi:

Ioan. 3.

*Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* O quam gratuita gratia sic à Spiritu sancto tam benignè, præ tot alijs pereuntibus, re-  
spi-

spici! Gratitude, amor, zelus gratiam sanctificantem acceptam, illibatam conseruandi.

III. Eosdem sic renatos, purificatos, viuificatos, sibi que assimilatos sensim perficit in iustitia, & sanctitate, quantum in se est, internis inspirationibus, illustrationibus, impulsibus ad continuum in triplici via perfectionis progressum extimulando. Nam iuxta D. Bernar. *monet, & docet, & mouet. Serm. de monet memoriam, docet rationem, mouet Pentec. voluntatem; memoria suggerit bona in cogitationibus sanctis, atq; ignauiam nostram, torporemq; repellit, quam inspirat cogitationem, docet in opus proferre, ne vacua in nobis sit gratia Dei; mouet denique, ut ad bonum afficiamur.*

O quoties & tu audis Spiritum sanctum memoriæ hæc & illa media proficiendi suggerentem: rationem illuminantem, modosque varios eadem adhibendi insinuantem, & voluntatem ad executionem inflammantem! Caue ne dissimules, nec contristes eum, cuius vox sonat in auribus tuis.

Gratitude, feruor parendi diuinis inspirationibus, & in spiritu proficiendi.